

Beiband 3  
S. 12

1292 Januar 13 (id. Januarii), Rom.

[92]

Zehn Bischöfe verliehen der Alten Kirche zu Ahlen einen Abläß von je 40 Tagen an bestimmten Festen.

Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis Rogerius Severinus, Johannitus Mokicen., Dei gratia archiepiscopi, Leotherius Verulanus, Marcellinus Turtibulen., Daniel Laquedoniën., Berardus Fulginas, Romanus Croen., Guillelmus Callen., (Cy)prianus Voven. et Perronus Larinen., eadem gratia episcopi, salutem in Domino sempiternam. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne ac laudabiliter serviatur, de abundantia pietatis sue merita supplicum excedens et vota bene servientibus multo maiora tribuat quam valeant promereri, desiderantes tamen reddere Domino populum acceptabilem fideles Christi ad complacendum ei quasi quibusdam electivis munerationibus indulgentiis videlicet et remissionibus invitamus, ut exinde redantur divine gratiae aptiores. Cupientes igitur, ut vetus ecclesia in ALEN Monasterien, diocesis congruis honoribus et iugiter Christi fidelium frequentatione veneretur, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad dic(tam ecc)lesiam in festis subscriptis videlicet nativitatibus, resurrectionis et ascensionis (Domini) nostri Jesu Christi atque Pentecostes, in quatuor fe(stivitatibus) gloriose virginis Marie, sancti Joannis baptiste, patroni vel patronorum et in an(niversari)iis dedicationis ecclesiae memorate ac per octo dies imm(ediate) sequentes festa prelibata, sanctique Michael archangeli, beatorum Petri et Pauli aliorumque omnium apostolorum, beati Laurentii martiris, beatorum Mar(tin)i et Nicolai pontificum, beatarum Marie Magdalene et Katerine virginis atque in festivitate omnium sanctorum causa devotionis accesserint aut qui ad fabricam vel structuram, luminaria, ornamenta vel ad alia necessaria ipsius ecclesie manus porrexerint adiutrices seu in extremis laborantes quicquam suarum facultatum legaverint ecclesie memorare, nos de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi singuli singulas dierum quadragenas de iniun(ctis) sibi penitentiis, dummodo consensus dioecesani ad id accesserit, in Domino misericorditer relaxamus. In cuius rei testimonium presens scriptum sig(illorum) nostrorum munimine duximus roborandum. Datum Rome id. Januarii anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>LXXX<sup>o</sup> secundo, pontificatus domini Nicolai pape nostri anno quarto.

Dr. Werg. beschäftigt. Die 10 Gal. der Blätter an rechts der Seite ab II 9